

tairii *Annalib.* meoque *Subple-*
mento praesto sunt.

Codicem utrinque interne con-
vestiunt Membranae hebraicae
Fragmenta e *Levitico* de Sacrifi-
ciis ab elegante penna sine punctis
exhibentes; sed enim difficilem
accessum mucor facit.

DXXXI.

R. 3240 Codex membraneus lat. Sec.
XIV. Folior. 357. 8. minutissimo,
sed nitidissimo charactere per duas
columnas exaratus, coloribus illu-
stratus, et olim cum *Bibliothecae*
Civicae, tum *Collegii S. J. Vin-*
dobon. Commentarius est in *LL.*
IV. Sententiarum Petri Lombardi,
seu potius Opus easdem ma-
terias eodem ordine, sed aliter
pertractans, cujus Prooemium init:
Fides est substantia rerum speran-
darum argumentum non apparenti-
um. Sicut enim uera dilectione di-
ligitur deus propter se ipsum su-
per omnia. ita uera fide aquiesci-
tur prime ueritati super omnia pro-
pter se. &c. Autoris nomen a pri-
ma manu toto Codice non occur-
rit; sed ab alia *fol. ult. p. 2.* legi-
tur: *A fratre wilhelmo de Milito-*
na ordinis fratrum minorum Et
Magistro Theologie compilatum
opus 4^o librorum correspondenter
ad 4^o sententiarum libros qui do-
ctor allegatur in summa agstenfi
(l. Astensi, nempe F. Astexani)
de elemosina. Ibi uide libro 6^o (l.
quinto) titulo 26^o. Et bis quidem,
nempe Art. 5. et 8. Jam si Notae
huic fides, duo nova, ab aliis non-
dum observata haberemus Opera

Guilelmi de Middletown non Do-
minicani, ut quibusdam creditum,
sed Franciscani, de quo jam Vol.
I. P. 1. col. 320—22. mentio
fuit. Primum quidem praesentem
Tractatum Dogmaticum, dein Sum-
mam quandam Moralem; cum e-
nim ea, quae Sodalis ejus Astexa-
nus ex eo refert, in Tractatu
praesenti L. IV. ubi de Eleemo-
syna foll. 323—24. agit, non
habeantur; manifestum est, ea ex
alio Tractatu perinde nobis in-
cognito petita fuisse, nisi dicas,
illa latere in ejus Commentario in
Epistolam ad Rom. quem nunquam
vidi, quamvis Summistarum usus
non fuerit Commentatores Bibli-
cos compilare. Accedat igitur
Subplementum istud ad ea, quae
Waddingus, Quetifus, Caveus,
Fabricius (Tannerus enim Guilel-
lum penitus omisit) adnotauere,
Solus Oudinus, dum T. III. col.
217. e Thomasini Catal. Mss. Pa-
tavinor. inter Commentatores in
Libros Sententiar. Nostrum nume-
rat, haeret, an id de Subplemen-
to, quod in Alexandrum Halen-
sem condidit, an de proprio Com-
mentario intelligi debeat. Poste-
rius verum esse, Codex noster
demonstrat.

DXXXII.

U. 690
Codex membraneus lat. Sec.
XIV. Folior. 251. f. per duas
columnas minutius multis compen-
diis exaratus et coloribus distin-
ctus sequentia ad Theologiam scho-
lasticam pertinentia complectitur:
I. Commentaria in L. I. *Senten-*
tiar.

tiar. Petri Lombardi, praeuia tamen Quaestione: *Vtrum sacra Theologia sit scientia*. Autorem praestare non possum, quamvis in ora supera legere mihi videar. *Super sententias ex parte M. Henrici de Parisius*, qui tum fortasse Gandavensis esset Theologiam diu Parisius professus. *II. fol. 26.* succedit Series Quaestionum in *L. II. Sententiarum* praeuia tamen iterum Quaestione: *Vtrum essentiae rerum creatarum sint ab eterno*. Nam Quaestio II. ita incipit: *Circa principium secundum libri Queritur primo vtrum mundus possit fuisse ab eterno*. Videtur ejusdem Autoris continuatio.

III. fol. 46. Series similis hujus initii: *Queritur vtrum congruum fuit filio dei incarnari &c.* Ad calcem habetur: *Explicit Tertius liber*. Adestum thome ab alia manu, sed minio deletum, et recte; non enim, ut collatio docet, *Thomae* est in *III. Sententiarum* sed Defloratio *Partis III. Summae* illius Theologicae.

IV. fol. 63. Series similis in *L. IV.* quae incipit: *Vtrum post lapsum primi hominis fuerit necessarium institui aliqua sacramenta*, et ad calcem habet: *Explicit quartus liber*. Difficile est in tanto *Sententiariorum* numero, quorum multi prelum nunquam subierunt, Autorem dispicere.

Compleat inceptum sancta Maria meum;

hunc enim passim Scriptis suis imponebat.

V. fol. 81. alia Commentaria in eosdem *Libros*, quorum initium: *Cipientes aliquid de penuria ac tenuitate &c.* ita *Lombardus* Libro suo I. praefatur, et Noster prosequitur: *Liber iste generaliter sui divisione diuiditur in 3 (2) partes. in partem probemiale et in partem executiuam &c.* Ita proceditur usque ad *L. III. Dist. 26. De Spe*, in qua Codex abruptum nulli Commentatoris indicato nomine.

VI. fol. 105. ab alia manu redit illa Defloratio *Partis III. Summae*, quam indicavi N°. III. subscripta: *Explicit tertius Thome*.

VII. fol. 127. nova Quaestionum Series, cujus initium: *Circa librum sententiarum primum et primo circa prologum &c.* Pervadit etiam *Librum II.* usque ad *Dist. 24.* in qua Scriptor abruptum.

VIII. fol. 166. absque Autoris indicio: *Super 24. sententiarum.* Initium: *Fundamentum primum iaspis. 2^m saphirus &c.* Ad *Lanulphum Caracciolum O. M. Scotistam* pertinent haec Commentaria jam alias hoc *Vol.* a me relata, ut Index docet. Codicem hunc ab *Henrico de Hassia Parisiis* ad nos delatum fuisse suadet Versiculus fronti praefixus: